

Jakob Christoph Wolff

Programma Passionale, Qvo Academiae Rostochiensis Rector M. Jac. Christophorus Wolffius, Gr. Lingv. Prof. Publ. Ordin. Facultatis Suæ h. t. Decanus, De Jesu Christo Mediatore Non In Uno, ex Gal. III. Comm. 20. coll. 1. Timoth. II. Comm. 5. commentatur, insimulque Ad Pias De Passione Domini Nostri Jesu Christi Meditationes frequenter instituendas Omnes O. O. Cives Academiae Honoratissimos sedulo hortatur

Rostochii: Typis Joh. Jacobi Adleri, [1736?]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1858783461>

Druck Freier  Zugang





J. 512.

1736. Fasten.

~~M-1256.~~ 236.

Q. 1736

PROGRAMMA PASSIONALE,
^{QVO}
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS
RECTOR
M. JAC. CHRISTOPHORUS
WOLFFIUS,

GR. LINGV. PROF. PUBL. ORDIN. FACULTATIS SUÆ
h. t. DECANUS,
DE

JESU CHRISTO
MEDIATORE
NON IN UNO,



ex Gal. III. Comm. 20. coll. I. Timoth. II. Comm. 5.
commentatur,

in simulque
AD PIAS DE PASSIONE DOMINI
NOSTRI JESU CHRISTI
MEDITATIONES,

frequenter instituendas

OMNES O. O. CIVES ACADEMIÆ
HONORATISSIMOS
sedulo hortatur.

R O S T O C H I I,
Typis JOH. JACOBI ADLERI, SER. PRINC. & ACAD. Typographi

M. 1256 236

AD pias de passione DOMINI NOSTRI
 JESU CHRISTI Meditationes frequenter insti-
 tuendas, ut Vos exhorter, CIVES OPTIMI,
 quum officii mei, quod jam teneo, exigat ratio,
 nescio, an ulla re alia magis vos excitare queam, quam si
 vobis JESUM CHRISTUM, mediatorem non in uno, bre-
 vi sistam scriptione. Sic sentimus, ac, quantum adsequor,
 recte quidem, eo sanctius nobis memoriam cujuspiam esse
 adservandam, eo sc̄pius recolendam, quo sincerius, quo
 frequentius rebus nostris suam accommodavit curam:
 quidni ergo pio ore Beatissimi Servatoris in homines pro-
 pensionem celebremus, quum non una tantum ratione, sed
 tot, quot potuit, documentis, nobis suum declararit favo-
 rem. Non tantum omnes illæ CHRISTI actiones, quas
 codex S. ab eo peractas memorat, hoc confirmant, sed &
 maxime illustre illud ejus nomen, quo mediator dicitur.
 Quod ultimum dum comprobare tentamus, quo manifesti-
 or nostra concludendi ratio appareat, duo insigniora effata
 Paulina inter se conferamus, quorum alterum, quid me-
 diatoris sit? generatim exponet, alterum vero docebit, idem
 illud, quod de mediatore generatim dicitur, & de Servato-
 re nostro speciatim asserendum esse. Priori loco, quem
 GAL. III. comm. XX. legere licet, hoc modo fluunt Apo-
 stoli verba: ὁ δὲ μεσίτης εἰς οὐκ ἔστιν. ὁ δὲ θεὸς εἰς ἔστιν. quibus
 in vertendis atque explicandis, quam miræ desudent inter-
 pretes atque exegetæ, dici vix potest. Inter interpretes,
 quos nobis evolvere licuit, omnium maxime a genuino
 sensu deflectit JOHANNES HENRICUS REITZIUS, ita
 hæc reddens: Dieser Mittler aber ist nicht ein Mittler der
 Einigkeit, Gott aber ist ein einiger; omnium autem lu-
 culentissimi sunt, qui cum b. LUTHERO, interprete,
 quo melior in his terris non vixit, indefinite, ita, ut tam
 rem quam personam subaudire queas, vertunt: Ein Mitt-
 ler

ler aber ist nicht eines etnigen Mittler, Gott aber ist einig.
 Quodsi ab interpretibus ad exegetas te conferas, tot ferme deprehendes sententias, quot commentatores. Non jam opus est, quæ ab antiquioribus ad sensum effati Paulini declarandum allata sunt, repetere, præsertim, quum ab aliis jam horum opiniones congestæ sint, eorum tamen, qui nostro ævo data opera in sensum hujus difficillimi oraculi inquisiverunt, ut præcipuos excitemus, instituti nostri ratio exigere videtur. Eminent inter eos V. S. R. HENRICUS WALTER GERDES, S. Theol. D. & Eccles. Evang. Luth. Londini in Anglia Pastor, qui Dissertatione sua inaugurali de Christo, unico Abrahami semine, Giessæ anno 1723. habita, novam hujus oraculi proposuit explicationem, ingenii ejus, ut judicat Cl. GUSTAVUS CHRISTOPHORUS HOSMANNUS, *Biblioth. Lub. Vol. V. p. 47. quo floret, acerrimi, & eruditionis perfectæ specimen clarissimum.* Laudanda pariter diligentia Cl. JOHANNIS RODOLPHI STERKII, qua in illustrando hoc dicto versatus est. Commentationem ejus exhibent celeb. Collectores *Bibliothecæ Bremensis Class. VII. fasc. IV. pag. 585. sqq.* Memorandus hic quoque nobis est vir doctissimus, nobisque jam laudatus Cl. GUSTAVUS CHRISTOPHORUS HOSMANNUS, ex cujus egregia *dissertatione exegetica ad Gal. III. 19. seqq.*, quæ operi eximio, *Bibliothecæ Lubecensi* loco jam dicto, inserta est, dictum nostrum non parum sceneratur lucis, Denique data quoque opera ad explicationem hujus oraculi accesserunt vir sibi semper similis JOHANNES WESSELIUS, erudita observatione, quæ in *dissertationibus ejus sacris Leidensibus ad selecta quædam loca V. & N. T. no. XIV. pag. 466.* comparet, atque S. R. D. CHRISTIANUS HAGMAIERUS singulari *commentatione academica, qua locum ad Gal. III. 20. illustrare conatur. Tubing. 1729.* Quemadmodum vero nullus horum cum altero per omnia consentit, quod cuivis, eorum sententias, quas hæc pagina non capiunt, conferenti patet; ita & quivis eorum aliis facile permittit,

tit, ut concinniori adhuc, atque commodiori, si potest, ratione, difficillimum hoc interpretentur oraculum. Nobis, virorum doctissimorum labore adjutis, quod grato agnoscimus animo, in mentem venit alia adhuc ratio verba Apostoli declarandi, quæque nobis nihil coacti, nihil difficultatis, nihil ab arte mutuati splendoris, secum vehere, sed ex ipsa cohærentia textus, atque verborum, quæ Paulus adhibuit, significatu, proxime consequi videtur. Ast ponamus, non omne eam ferre punctum, nihil tamen ejus expositione peccabimus; *nam, ut recte S. R. HAGMAIERUS l. c. p. 2. scribit, qui ad hujus loci obscurioris atque perdifficilis explanationem aliquid contulerit, operam non perdidisse censendus est. In difficilioribus modestè aliquid periclitari nullam reprehensionem, in iis autem cespitare vel hæere etiam, faciliorem a prudentioribus veniam meretur.* A recte ergo sentientibus nostrum adprobari institutum contenti, malevolos negligimus, atque sine ambagibus ad exponendam sententiam nostram accedimus. Est vero hæc: verba PAULI hujus versus continere responsionem quandam generalem ad objectionem ante allatam, atque hoc modo esse explicanda: *Mediator vero non est (mediator) unica quadam ratione, DEUS autem est unus (idem immutabilis).* Confirmat hanc interpretationem

(*a*) integra cohærentia. Nimirum in eo PAULUS totus est, ut evincat, per legem non sublatum esse fœdus illud de salute per CHRISTUM obtinenda, quod DEUS cum ABRAHAMO inierat, atque hinc salutem non ex lege, sed ex evangelio expectandam esse. Postquam hanc thesin perspicue proposuerat, atque multis aliis comprobabat argumentis, a v. 1 - 14, eandem quoque speciatim ex natura testamenti confirmat, v. 15. 16; atque tum a confirmatione ad refutationem objectionum se convertit. Inter objectiones prima est hæc: legem datam esse post promissionem, ABRAHAMO factam; atque hinc probabile esse, per legem, tanquam tempore posteriorem sublatam esse promissionem

tionem evangelicam tanquam tempore priorem: quam ob-
 jectionem proponit v. 17, atque refellit v. 18. Inde progreditur ad
 novam objectionem v. 19; quæ hæc est: Quodsi ergo lex non
 salvat, ut TU quidem, o PAULE, adseris, τί οὐν ὁ νόμος;
 tunc ergo lex inutilis est. Speciosa est hæc obiectio, unde
 duplici ratione respondet Apostolus 1) negando consequen-
 tiam: Lex non salvat; E. plane non est utilis. Est enim
 utilis alia ratione, quia τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη,
 ἄχρις οὗ ἔλθῃ τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται; 2) addendo genera-
 lem rationem, cur lex non possit esse inutilis, quamvis
 non salvet, hanc nimirum, quia lex est ordinata δι' ἀγγέλων
 ἐν χειρὶ μεσίτου. Quum vero concludendi vis: Lex est data
 per mediatorem; E. quantumvis non salvet, non tamen pla-
 ne est inutilis: non cuivis statim obvia fit, atque perspicua,
 hanc statim explicat atque confirmat Apostolus, addens:
 ὁ δὲ μεσίτης, ἐνός οὐκ ἔστιν; Mediator autem non est (mediator)
 unica quadam ratione; quo ipso has tacite expressit conclu-
 siones: Vos o GALATÆ! existimatis, legem, si non sal-
 vat, esse inutilem: Sed quo modo hæc vobis cogitatio in
 mentem venire potest? Nonne lex ordinata est ἐν χειρὶ με-
 σίτου? Nonne vero ὁ μεσίτης omni ratione promovet com-
 modum partis, cujus est μεσίτης? Concludatis ergo potius,
 legem, quantumvis ea non sit utilis ad salutem, tamen alia
 ratione esse utilem: Est enim data ἐν χειρὶ μεσίτου, cujus a-
 ctiones, quas pro nobis suscipit, si non una, tamen altera
 ratione, sunt utiles; nam ὁ μεσίτης ἐνός οὐκ ἔστιν. Tam com-
 mode omnia cohærent, si verba Paullina ita, ut fecimus,
 explicentur, tam accommodata hæc responsio est ad obje-
 ctionem. Sed dices, quo modo autem reliqua verba:
 ὁ θεὸς δὲ εἰς ἔστιν, jam cum prioribus conjungere poteris? Fa-
 cilis est responsio: ita ea connectimus, ut naturalis ordo
 id exigit, attendas modo ad sequentia. Non obstantibus,
 quæ PAULUS jam ex officio mediatorio deduxerat, po-
 tuissent Galatæ excipere: Verum quidem est, legem da-
 tam esse ἐν χειρὶ μεσίτου; verum etiam est, mediatorem omni,

qua potest, ratione partis suæ commodum quærere: at vero, quum mediator non possit esse, nisi inter duas partes, quum mediator nihil possit agere sine consensu utriusque partis, id adhuc superest, o PAVLE, ut probes, alteram partem, nempe DEUM, per legem accedentem non abrogasse promissionem evangelicam. His ergo objectionibus, ut obviam eat PAULUS, addit: ὁ θεὸς δὲ εἰς εἶναι: quæ reddimus; DEUS vero idem est, sive immutabilis est. Ut ergo responsio PAULI ex mente nostra hæc sit: Nec cogitatis, o Galatæ, actiones mediatoris ex parte DEI esse restrictas: quum semel ABRAHAMO promissionem dederit de salute ex evangelio obtinenda, hanc DEUS non mutat; est enim εἶς, idem, immutabilis. Quæ hæcenus differuimus, ea satis declarant, cohærentiam textus hanc, quam suppeditavimus exegesis, requirere, sed & confirmant eandem

(β) ipsa natura rei, atque vocabula, a PAULO adhibita. Quod rem adinet, nemo, reor, erit, qui in dubium vocaturus sit, mediatorem quacunque demum potest, ratione, commodum suæ partis promovere debere. *Mediatorum fidei, prudentiæ & iudicio*, recte HOSMANNUS atque PUFENDORFIUS *Biblioth. Lubec. Vol. V. pag. 62.* scribunt, *rem omnem committimus, eosque destinamus ad paciscendum loco nostri, sub generali formula, ut statuunt, quicquid ipsis maxime ex re nostra videbitur esse.* Quod autem vocabula concernit, atque significatus, a nobis illis adsignatos, primo neminem offendet, nos in priori hujus dicti commate cum voce mediatoris conjunxisse genitivum rei, quum hæc vox, quæ sex tantum vicibus in novo fœdere obvia est, tribus vicibus adjectum habeat genitivum rei. vid. Ebr. VIII. 6. IX. 15. XII. 24. Deinde vero, quod in altero commate illud εἰς per idem & immutabile exposuimus, tum connexio rei requisivit, tum legitime fieri potuit, quum & hæc notio ex altera illa *unius*, quæ τοῦ εἰνός primaria est significatio, commode, ut cuius patet, possit
" deri-


derivari, & nostrum vocabulum, sensu indigitato, haud raro adhibitum deprehendatur. Ut exempla adjungere-
 mus ipsi, opus haud esset, credo, si ADAMI SASBU-
 THI commentationes ad manus essent, qui huic ipsi no-
 tioni integram suam praesentis oraculi expositionem, tam
 qua comma prius, quam posterius, superstruxit; vid. Ce-
 leb. HAGMAIERUS l. c. §. XV. p. 24; at vero, quum eas
 evolvere nobis haud datum fuerit, nonnulla adjicere ju-
 vabit. Ex profanis, ut unum adducamus, PLATO τὸ ἐν
 dicit, quod principio sineque caret, quodque infinitum
 est. vid. TOBIÆ EKHARDI V. C. *Technica S. pag. 17.*
 Nonne vero, quod infinitum est, semper est idem? non-
 ne est immutabile? Ex sacris pariter hæc τὸ ἕνος notio non
 exulat. Quantumvis enim ea ex LUC. XIV. 18. non satis
 probari possit, quum dubium adhuc sit: utrum vocibus
 ἀπὸ μιᾶς ad supplendum sensum addendum sit vocabulum
 ψυχῆς vel ἄρας? vid. FULLERUS *Miscell. Sacr. Libr. I.*
Cap. I. p. m. 21. sqq. alia tamen supersunt loca, quæ huc ma-
 xime spectant, a SVICERO jam *Thesauri Eccles. Tom. I. ad*
h. v. p. m. 1039 exposita, ut ea hoc loco repetere opus haud
 judicemus. Quum vero hæc ita se habeant, ac proinde
 hæc nostra interpretatio tam connexioni, quam rei & ver-
 bis sit maxime accommodata, non opus est, ut plura ad-
 damus, sed transeuntes ad id, quod nobis hæc conscri-
 bendi necessitatem imposuit, adsertiones quasdam, ex
 jam dictis consequentes, subnectimus.

Percepimus, omnis mediatoris esse, omni ratione su-
 am sublevare partem; nam ὁ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν. Jam idem
 nobis erit dicendum de Domino nostro JESU CHRISTO.
 Is enim pariter est mediator. Audiamus PAULUM ex-
 ferte id adferentem: εἰς γὰρ, scribit, Θεὸς, εἰς καὶ μεσίτης
 Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἀνθρώπος Χριστὸς Ἰησοῦς: I. TIMOTH. II. 5.
 Nonne ergo CHRISTUS etiam omni ratione de nobis be-
 ne meruit? Ita est: meruit. Erasmus miseri per omnia;
 & CHRISTI officium nobis per omnia fuit salutare. A-
 gnoscit

gnoscat id ipse noster PAULUS, unde ROM. VIII. 32, scri-
 bit: Ὅτι γὰρ τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο, ἀλλ' ὑπὲρ ἡμῶν πάντων παρέ-
 δωκεν αὐτόν, πῶς οὐ καὶ κατὰ αὐτῶν τὰ πάντα ἡμῖν χαρίσεται: Ad
 legem implendam vires nostræ haud sufficiebant; & ecce!
 is eam implevit; Ad DEUM reconciliandum, iramque
 ejus sedandam haud eramus valentes; & ecce! is passione
 sua DEVM nobis reconciliavit, iramque divinam sedavit.
 Quæ, quum ita sint, facile inde intelligimus, quanta Ser-
 vatori nostro debeamus? quam studiose in cultu ejus ver-
 sari nos deceat? Omni ratione, qua potuit, dulcissimus
 noster *μεσίτης* nobis profuit: nonne ergo nostrum erit,
 gratum ei animum, quocunque demum poterimus mo-
 do, declarare? quibus ex vestris, CIVES HONORATIS-
 SIMI, mens non est læva, ii vel me tacente, id agno-
 scent, reliquos vero, quos impia abripit vivendi ratio,
 ut ad saniores redeant, hisce serio adhortor. VOBIS, O
 MEI, quos studiosos vocant, vestrorumque ex ordine non-
 nullis hæc maxime dicta sunt, imprimis iis, qui vitæ gene-
 re Christianum minimè decente, comestationibus scilicet
 atque carnis voluptatibus pretiosissimum terere tempus,
 imò boatibus plusquam rusticis tempore nocturno aërem
 omnium bonorum tædio implere haud erubescunt. Cave-
 te, quæso, ab ejusmodi perverso vivendi genere, negra-
 tiam DEI à Christo Mediatore nostro Vobis oblatam ne-
 gligatis vel in vanum accipiatis. Agite vitam studiose
 benè morato dignissimam, gratissimoque semper revol-
 vite animo immensa ista beneficia à Christo
 Mediatore nostro parata.
 Valete!

P. P. Sub Sigillo Rectoratus d. XII. Febr.
 Anno MDCCXXXVI.





qua potest, ratio partis suæ commodum quærere: at ve-
ro, quum non possit esse, nisi inter duas partes,
quum m possit agere sine consensu utriusque
partis, id est, o PAVLE, ut probes, alte-
ram parten DEUM, per legem accedentem
non abrogat onem evangelicam. His ergo
objectionibus eat PAULUS, addit: $\delta \theta \epsilon \omicron \varsigma \delta \epsilon \epsilon \iota \varsigma$
 $\epsilon \varsigma \omega$: quæ reddi vero idem est, sive immutabi-
lis est. Ut ergo PAULI ex mente nostra hæc
fit: Nec cogitatio actiones mediatoris ex parte
DEI esse restrictas vel ABRAHAMO promissio-
nem dederit de salu elio obtinenda, hanc DEUS
non mutat; est enim immutabilis. Quæ hacte-
nus differuimus, ea nt, cohærentiam textus
hanc, quam suppedita esin, requirere, sed &
confirmant eandem

(β) ipsa natura rei, a PAULO adhi-
bita. Quod rem adinet, erit, qui in dubi-
um vocaturus sit, mediator que demum potest,
ratione, commodum suæ parte ere debere. Media-
torum fidei, prudentie & judic OSMANNUS at-
que PUFENDORFIUS Bibliot. V. pag. 62. scri-
bunt, rem omnem committimus, e aus ad paciscen-
dum loco nostri, sub generali formu ant, quicquid
ipsis maxime ex re nostra videbitur ex autem voca-
bula concernit, atque significatus is adsigna-
tos, primo neminem offendet, nos ujus dicti
commate cum voce mediatoris conjum rei,
quum hæc vox, quæ sex tantum vicid fœdere
obvia est, tribus vicibus adjectum habum rei.
vid. Ebr. VIII. 6. IX. 15. XII. 24. Deind od in
altero commate illud $\epsilon \iota \varsigma$ per idem & imm sui-
mus, tum connexio rei requisivit, tum leg o-
tuit, quum & hæc notio ex altera illa unius
primaria est significatio, commode, ut cuivis